

omnes sunt ejusmodi, ut vel per ipsas methodi leges fatis refutentur, vel refutari plane non mereantur.

CAPUT II. DE MODO CONVINCENDI.

§. 1.

Aliquem convincere quid sit?

De veritate aliquem convincere, est veritatem ipsi ea ratione proponere, ut is distinctam & evidentem illius cognitionem, quaque ad adsentendum ei vi quasi abripiatur, inde adsequatur.

§. 2.

Quaedam conseruaria.

Non igitur convinci quis poterit nisi de veritate plane certa; imo potius veritas hoc ipso certa est alicui, quod de ea sit convictus; & qui de veritate alium convincere intendit, illam ea methodo seu tali ratione proponat, ut evidentem inde illius cognitionem alter adquirat.

§. 3.

Ad alium convincendum nonnunquam sola terminorum expositione, nonnunquam etiam demonstratione opus est.

Veritates autem vel sunt ejusmodi, ut sola terminorum expositione evidenter a quovis perspic-

ciantur; veluti sunt veritates primae & indemonstrabiles; vel ad eas distincte intelligendas opus est, ut ex aliis primum veritatibus certis & indubitatis deducantur ac demonstrentur. Unde manifestum est, ad convincendum alium nonnunquam sola terminorum expositione, nonnunquam demonstratione opus esse.

§. 4.

De veritatibus alios convincere volens demonstrandi habitu polleat, necesse est.

Quandoquidem vero, ut de veritatibus alii convincantur, non raro opus sit demonstratio ne §. *praeced.* manifestum est, quod dicitur, de veritatibus nempe alios convincere volentem demonstrandi habitu imbutum esse oportere, *vid. hoc Lib. Part. I. Cap. 5. §. 3.*

§. 5.

Alium convincere intendens adtentionem in eo excitet ac conservet.

Cum porro ad veritatem mediante demonstracione evidenter intelligendam opus sit adtentione & saepe quidem continuata, puta, si demonstrationes aliquanto prolixiores fuerint; consequens est, ut is, qui de veritate alium convincere intendit, adtentionem in eo excitare debeat & conservare.

§. 6.

§. 6.

Alium concincere volens sedulo caveat, quid illius animum possit exacerbare.

Alium convincere volens adtentionem in eo excitare & conservare debet §. praeced. jam vero adtentionem nihil fere magis distrahit, quam affectus conciti & turbulenti; unde patet, alium convincere volenti ab omni eo esse abstinendum, quo affectus concitari, & animus alterius possit exacerbari.

§. 7.

Convinci quinam possint?

De veritate tandem convinci non possunt, nisi qui veritatis evidentiam percipiendi, ac demonstrationis vim perspiciendi facultate pollut. Secus convictionis plane erunt incapaces; profecto aethiopem lavandum susciperet, qui hujuscemodi hominem convincere adlaboraret.

§. 8.

Argumentum ad hominem quid sit? an § quando ejusmodi argumento uti expediat?

Quodsi pro certis quidam aliqua admittat, quae certa tamen non sunt; atque haec ipsa alius, licet eorum ipse incertitudinem, imo forte falsitatem satis perspiciat, ceu principia ad demonstrandam quandam veritatem adsumat, argumento ad hominem uti dicitur; & licet ejusmodi argumen-

to urgeri plane possit ille, qui talia, licet forte falsa, pro veris tamen certisque admittit; hujuscemodi tamen argumento facile utendum non est, nisi alter principia quaevis alia certa & evidenter, ex quibus illa veritas demonstranda est, temere inficietur.

C A P U T III.

DE MODO DOCENDI VIVA VOCE.

§. I.

Quaenam in hoc capite specialiter exponenda sint?

De methodo docendi universè pluribus disputatum est *Capit. I. buj part.* ac quae ibi dicta sunt, quemcunque seu scripto seu viva voce docentem spectant, ut veritates scilicet ordinata methodo seu taliter proponat, quo alter, qui docendus est, distinctam inde veritatum prius sibi incognitarum notitiam consequi possit, imo vere consequatur; quod ut fiat viva voce docendo, specialia quaedam & alia quidem in docente, alia in modo, quo utitur in docendo, & alia tandem in ipsis docendis requiruntur; quae requisita in capite hoc praesente paucis exponenda sunt.

§. 2.